

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Ernst Cothmann Martin Chemnitz

Theses De Iure Belli

Rostochi[i]: Pedanus, 1623

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730911543>

Druck Freier  Zugang



Kriegsrecht

Vet.

Cothmann - Chemnitz für.

1623.

Fa

39. #

THESES
DE
JURE BELLI.

QVAS

D.F.

Consensu & autoritate Amplissimi & Ctorum Ordinis in alma Rostochiensi Academia.

PRAE SIDE

VIRO MAGNIFICO AMPLISSIMO ET CONSULTISSIMO,

D N. ERNESTO COTHMAN,
J Cto Celeberrimo, Decano & Senio-
RE Collegij Jurisconsultorum, Præceptore & Fautore
suo plurimum colendo,

Pro summis in utroq; jure honoribus & privilegijs consequendis

Publicæ disquisitioni subiicit

MARTINUS CHEMNITIUS JUNIOR,

Ad diem Aprilis.



ROSTOCHI

Typis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typog.

ANNO M. DC. XXIII.

1623





THESIS PRIMA.

Um ea quæ quotidiana sunt, plenius attingenda, Jctus Paulus lib. X. Quæstionum moneat, opera precium nos facturos existimamus, si quædam de bello, quo, proh dolor! deploratissimo hoc seculo nihil frequentius, ejusq; jure, disquisitioni publicæ subjiciamus.

II.

Sunt enim belli, sicut pacis jura, justeq; ea non minus quam fortiter geri debent, quemadmodum apud T. Livium Camillus Faliscorum pædagogo rectè respondit.

III.

Quia vero de bello Miles, Politicus, Jureconsultus diversimodè tractant: ille quomodo fortiter & strenuè: iste quomodo prudenter & utiliter: hic quomodo legitimè & justè gerendum sit, considerat, nos sepositis ijs quæ ad artem militarem & prudentiam Politicam spectant, quatenus justè vel injustè bellum geratur, præcipue dispiciemus.

IV.

Bellum, uti quidam dictum volunt per antiphrasin, quasi minime bellum: ita apud Germanos dici posset, **Krieg** / quasi minime **Kriegen**. In bello namq; plus impendij quam compendij, plus detrimenti quam emolumenti esse, experientia testatur.

V.

Alij διό το βάλλειν dictum putant, quia telis geritur, & **βίλη** telum significat.

A 2

Eft

V I.

Est autem bellum duorum publicorum, & quidem contrariorum sive hostilium exercituum contentio.

V II.

Et trahit originem ex jure gentium, partim per se, quod defensivum: partim per accidens, quod offensivum.

V III.

Christianis etiam licitum esse bella gerere non dubitamus, adeo ut nonnullis in casibus bello non experiri pro peccato habeatur..

V IX.

Belli divisiones varij varias tradunt; nobis illa arridet, qua bellum aliud defensivum, aliud offensivum statuunt.

X.

Bellum defensivum est, quo vis illata vi repellitur; idque semper justum est, modò in eo moderamen inculpatæ tutelæ non excedatur..

X I.

Suscipitur autem bellum offensivum, vel ratione nostri, vel aliorum..

X II.

Ratione nostri, si ad corporis nostri, honoris, bonorum, jurium, religionis suscipiatur defensionem..

X III.

Et quidem Princeps hoc semper juste gerit..

X IV.

Sed quid de subditis dicendum, quos Princeps injustâ vi premit, imo opprimit? Et illi sanè, qui prorsus absolutâ potestate imperat, armatâ manu resistere haud poterunt: aliud autem statuendum, ubi Principis potestas certis pactis & legibus restricta est, modò subditi nullâ alia ratione jussium tueri queant, & nulla nisi in armis spes supersit..

Recte

XV.

Recte enim Rex Theodoricus ad Alaricum scripsit, tunc ad arma veniendum, cum apud adversarium Justitia non potest locum invenire. Et Baldus noster tradidit, necessitatem bella justificare, cum ad bellum extremo loco confugitur.

XVI.

Quo etiam temperamento dici posset, Sacri Romani Imperij Principes, pro religionis, libertatis, bonorumq; defensione, contra Imperatorem, si is forte (quod tamen de tantâ Majestate minime præsumimus) illos per injustam vim opprimere conetur, arma sumere posse.

XVII.

Hinc Germaniæ vel potius Saxonii nostræ Principes & proceres olim Henrico IV. Imperatori per legatos satis animose denunciarunt: se ei fidem dedisse, si ad ædificationem non ad destructionem Ecclesiæ & Reipublicæ Rex esse velit: si suum cuiq; ordinem, suam dignitatem, suas leges tutas inviolatasq; manere pateretur: si ista prior violasset, se jam hujus sacramenti religione non teneri, sed quasi cum hoste justum bellum gesturos, proq; libertate sua se vindicatueros; uti ex Lamb. Schafnaburgensi, Clarissimus J. C. tus Christophorus Besoldus, præceptor meus honorandus alii cubi retulit.

XVIII.

Ratione aliorum bellum defensivum geritur, quando in gratiam illorum suscipitur, quibus fœderum jure ad auxilia obligati sumus, vel qui injuria oppressi opem nostram implorant.

XIX.

Verum anceps hic occurrit quæstio, an vicini alterius- ve Principis subditis injusta vi oppressis, rectè suppicias fe-

A. 3

ramus?

tramus? Distinctione rem explicabimus. Et quidem in negativam imus sententiam, si Princeps ille a^soluta potestate subditis suis imperet. Sin Imperium illius certarum conventionum vel transactionum limitibus quasi circumscriptum sit, eosq; in subditorum perniciem enormiter transgrediat, & ad instar tyranni s^aeviat, auxiliaribus copijs succurrere subditis omnino nobis dicitum erit, pr^aesertim ubi pacta & transacta illa interventu & auctoritate nostra sint inita, vel pro illorum observatione fides nostra interposita fuerit.

XX.

Adjicunt Politici, illud etiam obtinere, quando ex oppressione subditorum Principis illius potentia nimium cresceret, ita ut vicinis inciperet esse formidabilis.

XXI.

Bellum offensivum est, quod non ad defensionem, sed potius ad injuriam illatam vindicandam suscipitur. Estq; vel justum vel injustum.

XXII.

Sed hic non incommod^e queri potest; an bellum ab utraq; parte justum esse possit? Affirmatim disputando tueri conabimur,

XXIII.

Sic enim Judaei juste bellum contra Chananæos ex mandato divino gesserunt, & Chananæi juste Judæorum vim repulerunt.

XXIV.

Ita si in negotijs controversis, inter Principes dubium sit, à cujus partibus stet Justitia, & proinde ad arma deveniantur, bellum ab utraq; parte justum esse poterit.

XXV.

Ita pro confederatis & socijs justè arma capi, eademq; ab altera parte juste repelliri possunt.

Sic

X X V I.

Sic Sabini juste bellum ob raptum filiarum Romanis intulerunt, Romaniq; juste pro uxoribus, liberis, vita pugnarunt.

X X V I I.

Ut autem bellum offensivum justum sit quatuor requiruntur, 1. Auctoritas in gerente, 2. Justa causa, 3. Finis vel intentio bona, 4. Clarigatio.

X X V I I I.

Belli offensivi inferendi auctoritatem habet Princeps, superiorem non agnoscens; ut & libera Respublica.

X X I X.

Sicubi tamen Principis imperium certis pactionibus astrictum sit, bellum sine subditorum consensu movere non poterit, siq; moveat, illi ad præstanta auxilia non tenentur.

X X X.

Cui consequens erit, etiam Imperatorem Romanum, non nisi de consilio & assensu Ordinum Imperij, præsertim Septemvirorum, bellum sive intra sive extra Imperij fines indicere posse, idq; in Capitulatione Cæsarea Att. IX. differtis verbis expressum est.

X X X I.

Principes superiores agnoscentes belli inferendi auctoritatem non habent.

X X X I I.

Consuetudo tamen tanti temporis, cuius initij non extat memoria, vel privilegium à summo Principe concessum, auctoritatem belli indicendi ijs tribuere potest.

X X X I I I.

Eadem ratione se & sua armis & bello defendere ac vindicare propriâ auctoritate poterunt, si in præsentissimo periculo constituti fuerint, & ex morâ damnum secuturum

sit.

sit irreparabile: si superioris copia haberi nequeat: vel ille
sui muneris negligens, moratoria & delusoria procrastina-
tione, auxilium & protectionem debitam differat, vel pote-
state suâ abutatur, & manifestam exerceat tyrannidem.

XXXIV.

In quibus autem casibus Principibus bellum gerere li-
cet, id etiam liberæ nobilitati, der Freyen Reichs Ritterſchaft
liberisq; Imperij civitatibus permisum erit.

XXXV.

Extra hos vero casus, si bellum moveant, in pœnam
fractæ pacis publicæ incident, aut crimen læse majestatis
committunt: Imo talia bella, non bella, sed prædationes &
latrocinia appellantur.

XXXVI.

Secundò ad bellum justa causa requiritur. Inter justas
vero causas, quoad supremum Principem numeratur, re-
rum ablatarum recuperatio, injuriarum atrocissimarum
vindicatio; fœderum & pactorum violatio; subditorum re-
bellio; fugitivorum, hominumq; maleficorum receptio &
defensio.

XXXVII.

Neq; minus justa belli causa erit contra illos, qui hosti-
bus nostris auxilia præstant: justissima autem contra tyran-
num, qui sacra divina violat, & Christianam religionem
funditus delere conatur.

XXXVIII.

Justè etiam ad bellum procedit, qui vim vel injuriam
sibi illatamiri certus est. Læsionem enim præsentem expe-
ctare non opus est, sed futuræ occurrere licet.

XXXIX.

Non tamen satis justa belli causa est, si ea quæ jure gen-
tium libera vel communia sunt, denegentur.

Roma-

XL.

Romani etiam Sabinis alijsq; vicinis populis, ob dengata filiarum connubia bellum recte inferre non potuissent, quamvis D. Augustinus libro secundo de civitate Dei, cap. XVII. in contrarium ire videatur.

XLI.

Neq; etiam qui patriā ejecti novas sibi sedes quærere satagunt, vi armatā aliorum terras occupare poterunt.

XLII.

Nec justa bellandi causa fuerit, si ob Imperij Amplificationem, vel aucupandæ gloriæ caussa arma moveantur.

XLIII.

Vel si ruditas & barbaries alicujus nationis prætendantur, quasi illa aptior sit ut regatur bonisq; moribus imbuantur, quam ut seipsum regat.

XLIV.

Ita etiam ne quidem auctoritate Papæ vel Imperatoris, contra infideles, ex eo solum quod infideles, quantumvis Idolatriam exerceant, vel crimina contra legem naturæ perpetrent, bellum juste geri poterit, quemadmodum Didacus Covarruvias, recte concludit.

XLV.

Vetustæ quoq; bellorum causæ non facile sunt excitandas. Unde Princeps ob recuperandas provincias, ab alio Principe armorum jure sibi eruptas, & per tempus immemoriale possessas, bellum juste indicere vix poterit.

XLVI.

Si tamen vel per rei difficultatem, vel alias causas, ea quæ sibi armis erupta sunt, armis commode recuperare impeditus fuerit, præscriptione non excludetur.

XLVII.

Sed quid de illis qui titulum & insignia Regnorum amis-

B

forum

forum usurpant? Et hi animum recuperandi habere, & proinde à vindicatione amissorum non excludi posse videntur.

XLVIII.

Eiusmodi tamen tituli & insigniorum usurpationem, ineptam recte vocavit Baldus noster, si Princeps non tantum de facto, sed etiam de jure à possessione dejectus sit.

XLIX.

Imperator autem Romanus, ditiones ab Imperio injuste avulsas justè bello repetit, imo vigore promissionis in capitulatione factæ, ad id faciendum obligatur.

L.

In posteros quoque & successores justè bellum ob injuriā à prædecessoribus illatam movetur, maximè si ex prædecessorum facto locupletiores sunt facti.

LI.

Non sufficit quoq; ad bellum justum movendum, ut Princeps se justam belli movendi causam habere putet, sed necesse etiam est, ut quando res dubia esse potest, pro rei pondere gravitate ac difficultate diligens prius fiat inquisitio, adhibito talium prudentium consilio, de quibus merito credendum sit, eos syncero & maturo judicio, omni affectione remotā eā de re judicaturos, veritatemq; inventuros. Audiendæ etiam sunt adversariorum rationes, modo syncerè ac sine fraude agere velint.

LII.

Amicē igitur Principes de controversijs suis ante omnia inter se agere, rationes & jura sua utrinq; proponere, de ijs per legatos, viros prudentes & pacis amantes tractare, & antequam negotium periculosa belli aleæ committant, aequalis conditionibus res componi queat, operam dare debent.

Quod

LIII.

Quod si in tractatū illo manifeste appareat, illum qui rem tenet, bonæ fidei possessorem esse, vel ab ipsius partibus æquitatem stare, injustum omnino fuerit illum bello impeti, sed rectius alter fecerit, si cedat, & jus suum, quod prætendit, remittat.

LIV.

Quod si neuter sit bonæ fidei possessor, vel alias partium jura obscura & non satis certa sint, res controversa pro illa quantitate, de qua jura dubia sunt, inter utrumq; dividenda, & si alter renuat, & æquitati locum dare nolit, justa belli causa erit.

LV.

Quod si partium jura paria sint, & tam ab una quam altera parterationes æquè momentosæ militent, satius meliusq; fuerit, controversiam vel amicabili transactione dirimi, vel delectis arbitris committi. Si vero nec illa ratione Principes ad concordiam reduci queant, & tandem post adhibitam debitam diligentiam, & audita prudentum judicia, lis illa ferro decernenda & decidenda veniat, bellum tam ex hac quam illa parte justum erit.

LVI.

Sed an Papa, si lis sit inter Principes Christianos, arbitrio suo rem definire poterit? Et cum nullam in eos habeat potestatem, non posse putamus, nisi Principes sponte sua illius arbitrio se submiserint.

LVII.

Quod si subditū unius Principis vel Reipublicæ, damna & injurias alterius subditis intulerint, admonitio seria de damnorum reparatione & satisfactione pro injurijs præcedat oportet, & si Princeps vel Respublica illam non attendet,

B 2

dat,

dat, nec subditos suos condignis pœnis afficiat, nec ad
damnorum restitutionem adigat, sed hac in parte officio
suo desit, justi belli causam præbebit.

L VIII.

Si tamen ubi arma jam parata, miles conscriptus, & ho-
stilitatis initium factum sit, pro damnis ac injurijs offeratur
satisfactio, æquius erit à bello cæpto desisti, modo non so-
lum ratione damnorum & injuriarum, verum etiam sum-
ptuum, in apparatum bellicū jam expensorum, ac industriæ
laboris, periculorumq; susceptorum nomine satisfiat.

L IX.

Deniq; ad Justitiam belli offensivi requiritur, ut illud
in utilitatem subditorum vel Reipublicæ tendat. Bellum
itaq; gesturus, vires suas & quidem proprias (nam de ami-
corum subsidio sibi multum promittere, quam sit pericu-
losum experientia testatur) an illæ ad victoriam obtainen-
dam sufficient, exacte metiatur, & rationes ita computet,
ne cum potentiore in certamen descendat, ne se & sua, sub-
ditosq; periculis & damnis exponat, vel plane perditum-
eat, ne redditus publicos prorsus absumat, ne æri alieno vix
solubili se involvat, ne postmodum subditos nimis exactio-
nibus premere, & quasi ad medullam usq; exsugere neces-
sum habeat, & tandem desperatis de rebellione cogitandi
ansam præbeat.

L X.

Bellum namq;, ut rem in pauca conferamus, nunquam
suscipiendum nisi major emolumenti spes, quam detrimen-
ti metus appareat.

L XI.

Tertio ad bellum justum requiritur Finis & intentio
bona.

Bellum

LXII.

Bellum igitur non procedat ex odio , nocendi cupiditate , ulciscendi crudelitate impacato ac implacabili animo , feritate rebellandi , libidine dominandi , quemadmodum ex D. Augustino Gratianus noster . c. quid culpatur . 23. q. 5. retulit : sed juste bellanti finis esse debet Dei gloria , Justitia & conservatio , & utilitas publica .

LXIII.

Bellorum itaq; occasions non quærendæ: sed vitandæ potius & amputandæ sunt,

LXIV.

Quarto ad bellum offensivum justum , (nam in defensivo aliud est) Clarigatio , vel ut vulgò non satis Latine loquimur , Diffidatio , requiritur . Unde qui alteri bellum non præcedente diffidatione inferunt , proditoriè agere dicuntur , uti Mart. Laudensis voluit .

LXV.

Clarigatio est legitima belli indictio seu denunciatio , eaq; fit vel per Fccialem einen Herolden / vel per literas Clari-gationis , Absagbrieffe / quæ per puerum nobilem transmitti solent , quorum uter q; legatorum immunitate gaudet .

LXVI.

Indictio autem per clarigationem bello non solum ipsummet Principem sed omnes ejus socios & complices diffidatos esse Baldo placuit .

LXVII.

Neq; tamen statim post clarigationem ad hostilia procedendum , sed exspectandum aliquot diebus , si forte is cui denunciatum est bellum , pacem petere , quam armis experiri malit ,

B 3

Ex

LXVIII.

Ex hactenus deductis patet, bellum in quo deficit vel auctoritas in gerente, vel justa causa, vel intentio bona, vel Clarigatio, injustum esse.

LXIX.

Verum in bello etiam justo multa quæ Injustitiam sapient sæpius occurunt, puta si fides hosti data non servetur, cuius tamen pronunciati veritas, non ita indistinctè procedit, de quo in disquisitione particularius videbimus.

LXX.

Injustum etiam illud erit, si quis absq; confederatorum consensu pacem ineat, eos paci vel compositioni non includat, neq; in tuto collocet: vel si subditorum securitati non recte prospiciat, neq; ut damna illis illata restituantur, satagat.

LXXI.

Illud quoq; à Justitiæ tramite deviabit, si quis vel magis artibus, vel venenis contra hostes utatur.

LXXII.

Superstitione tamen hostium, puta si certis quibusdam diebus pugnare illis religio sit, in ipsorum perniciem uti, non injustum fuerit.

LXXIII.

Neq; etiam injustitia notam incurrit, qui insidijs vel stratagematibus hostes circumvenit, qui falsis rumoribus vel literis illos seducit, qui proditiones, dissidia, & seditiones in hostium castris procurat, multaq; simulat atq; dissimulat, quibus hostis decipiatur & capiatur.

LXXIV.

Quando autem de judicijs vel pace serior tractatur,
bonâ

bonâ fidé agier oportet , neq; fas est in pactis conventis per
verba captiosa aut deceptiunculas hostem fallere.

LXXV.

Sed quid si per mendacia vel falsa narrata hostium illis
quid promissum sit ? Et justè contra veniri poterit , nisi po-
stea cognito dolo & mendacio promissum illud ratificatum
& confirmatum fuerit.

LXXVI.

Injustum etiam & nefas erit in innocentes , maxime
imbellies senes , pueros s̄avire , fœminas , virgines adulterijs
& stupris violare , ædes sacras diripere .

LXXVII.

Si tamen in urbium arciumve oppugnatione ejusmo-
di innocentes lādantur , si fortè in navalı cum Turcis pugna,
Christianī captivi & remiges ignitis bombardarum globis
interficiantur , illud cum per accidens fiat , oppugnantium
ratione injustum non habebitur .

LXXVIII.

Ita etiam absq; injustitiæ notâ civitas vel arx obsessa
militibus in prædam dari poterit , si eà intentione , ut mili-
tum animi ad strenuē pugnandum alacriores reddantur ,
majorq; hostibus terror incutiatur : ea etiam moderatio-
ne fiat , ut innocentibus , imbellibus , & ædibus rebusq; sa-
cris parcatur .

LXXIX.

Injustitiæ quoq; species erit , si in deditios contra-
datam fidem s̄aviatur , qui si de vita pacti sunt , in captivita-
tem vel servitutem conjici haud debent .

LXXX.

Unde æquitatem habet , quod à nonullis traditur , si
deditio ad placitum , misericordiamve Victoris fiat , auf^{gnade}

gnade vnd vngnade / illam ad boni viri arbitrium factam;
neq; deditios effrenatæ hostium immanitati mancipatos
censeri.

LXXXI.

In cadavera quoq; hostium sævire , illisq; sepulturam
denegare, crudelitatis potius quam Justitia est.

LXXXII.

Plura hujusmodi , & alia , de salvo conductu , inducijs ,
pacificatione , officio , præmijs , privilegijs , pœnis militum ,
obsidibus , transfugis , captivis , eorumq; liberatione , jure
postliminij , quorum uberrima in juris nostri libris eorumq;
interpretibus seges se offert , adduci possent . Sed angusti
disputationis hujus cancelli omnia illa non admittunt . Non
itaq; tam copia quam modus nobis querendus est . Proin-
de quæstiones tantum nonnullas , ad rem nostram pertinen-
tes , breviter sed promiscuè delibabimus .

LXXXIII.

Vassallum qui ad præstationem servitorum equestium ,
Roh: Ritter: oder Mandiensie obligatus est , domino bella ge-
renti , auxilium ferre debere explorati juris est .

LXXXIV.

Sed obtinebit illud tantum in bello justo , itemq; ubi
dominus ditiones suas bello defensivo ab hostili invasione
& violentia tueri cogitur .

LXXXV.

In bello notorie & manifeste injusto , Dominum ju-
vare non tenetur : immo si adjuvet parti læsæ ad damno-
rum restitutionem obligatus erit .

LXXXVI.

Quod si Domino auxilia præstare cæperit , & postea-
de in-

de iniustiâ belli certior factus, illum deserat, feudo propter ea privari non poterit, nisi dolosè hoc agat, vel si dominus auxilijs Vasallorum confidens stipendiariorum militum numerum non auxerit, & eam ob causam Dominus detrimentum insigne passus fuerit. Quo casu Vasallum etiam ad id quod interest teneri, communis Dd. schola opinatur.

LXXXVII.

Quando vero justumne an injustum sit bellum, non liquido apparet, Vasallus autem bellum illud de consilio procurum & Senatorum indictum intelligat, in dubio isto, Dominum in militiam sequi omnino tenetur.

LXXXVIII.

Sane in Principe superiorem non agnoscente, cum bellum justum presumatur, Vasallum de iniustiâ curiosius non inquirere, sed Dominum absque tergiversatione sequi debet.

LXXXIX.

Sed quid si Dominus extra territorij sui fines bellum gerat? Et nihilominus tenebitur Vasallus Domino servitia praestare, nisi vel investituræ tenor aliud dicteret, vel pactis provincialibus aliud cautum, vel consuetudine illius loci aliud receptum sit.

X C.

Quod tamen hanc recipit restrictionem, nisi locus in quo Dominus bellare constituit, à finibus territorij nimis remotus sit, & bellum illud ad adquirendum nova dominia, ditiones vel provincias suscipiatur, illo enim casu non teneri Vasallum cum Domino in oras valde remotas militatum iri, placuit.

C

Secus

XCI.

Secus erit si Dominus pro vindicandâ injuriâ sibi suisque illatâ, vel pro defensione aut recuperatione rerum extra territorium sitarum bellum gerat, vel hosti, ne is in territorij fines irrumpat, obviam ire consultius putet, illis enim casibus Vasallus Dominiū etiam ad remotiora loca tendentem sequi debet.

XCII.

Præstabit autem Vasallus bellica ista servitia sumtibus proprijs, nisi in literis investituræ aliud pactum, vel consuetudine inductum sit, vel feudum adeo sit tenuè ut ad impensas ejusmodi non sufficiat.

XCIII.

Si tamen Vasallus Dominum extra territorium bella gerentem sequatur fiet illud impensis Domini, quantumvis si arma vel equos amiserit, Dominus ad resarcienda ejusmodi damna non teneatur.

XCIV.

Quod si Princeps non in propriâ causâ bellum gerat, sed alteri militet, vel aliena stipendia mereat, Vasalli servitia hoc casu exigere non poterit.

XCV.

Si vero Imperator vel superior Dominus in bello iusto à Principibus vel inferioribus dominis ipsum recognoscitibus auxilia vel servitia postulet, Vasallos etiam Principum illorum vel inferiorum Dominorum, ad servitia præstanta, à Dominis suis immediatis cogi posse, non absq; ratione dixeris.

XCVI.

Ubi autem Dominus mediatus & immediatus insimuli servi-

Servitia Vasalli requirunt, immediati conditio potior erit, nisi Dominus mediatus, supremus sit Universalis illius territorij Princeps, & pro communi defensione & patriæ utilitate pugnet, tunc enim Vasallus Domino supremo & mediato etiam contra inferiorem & immediatum servitia præstare debet.

XCVII.

Illud etiam quæstionis est, si Vasallus à plurimis Dominis feuda habeat, cui teneatur servire? Distinctione rem explicabimus. Si Domini illi contra alios bellum gerunt, & Vasallus ab ijs diversa feuda habet, singulis etiam respectu diversorum feudorum, servitia, pro ratâ tamen exhibere cogitur, nisi ob facultates exiguae, duplicitia præstare servitia nequeat, quo casu antiquiori, qui prior ipsi feudum concessit, serviet: sin de eo non constet, potior erit qui prius servitia requisiverit: si vero uno & eodem tempore à diversis Dominis requiratur, in arbitrio Vasalli erit, cui servire velit.

XCVIII.

Idq; etiam obtinet in Vasallo, qui ratione unius ejusdemq; feudi plures habet Dominos.

XCIX.

Quando verò Domini non cum alijs sed inter se met-
ipso bello decernunt, Vasallus diversorum feudorum re-
spectu, antiquiori præstabit servitia, cum in omni juramen-
to fidelitatis persona prioris Domini excepta censeatur,
nisi vel investitura, vel consuetudo loci aliud velit: Quod
si à pluribus Dominis respectu ejusdem Feudi requiratur,
rectius fecerit si neutri vel nulli serviat.

C.

Poterit autem Vasallus præstationem servitorum evitare, si dimidiam partem proventuum feudalium unius anni Domino cedere paratus sit, quod ipsum tamen hanc recipit limitationem, nisi Dominus in maximo & præsentissimo constitutus sit periculo, & auxilio personali magis quam nummario indigeat, tunc enim Vasallus, cessione dimidiæ partis redditum non liberatur, sed personalia servitia præstare deberet.

C I.

Cogitur porro Vasallus, Domino auxilium vel servitium ejus requirenti, illud præstare contra omnem hominem, etiam fratrem, & alios sanguinis vinculo sibi coniunctos.

C II.

Immo etiam contra parentem & filium, quod tamen cum temperamento intelligendum, & ad illos casus astrinendum erit, in quibus per leges civiles pietati parentibus & liberis secundum jus naturæ debitæ, derogari potest; puta si pater vel filius patriam oppugnet, vel læsæ majestatis reus sit.

C III.

Contra patriam tamen, & contra seipsum, forte etiam contra uxorem suam, cum qua una caro est, Domino ad fereandum auxilium non est obligatus.

C IV.

Ita etiam contra Imperatorem ad Domini sui jussum, armaferre non tenetur. Quia in quæstione non desunt qui distinguant, an Imperator quatenus Imperator, vel respectu pro-

provinciarum, Regnorumve hæreditariorum bello impe-
tatur. Sed nos tantam litem nostram non faciemus.

C V.

Præterea Vasallus Domino suo in tantum obnoxius est, ut tempore belli arces & oppida sua Domino aperire, inq; illius manus custodienda tradere cogatur, daß er zu des Lands Fürsten vnd Lehnherren Kriegen vnd nöthen/ seine Städte vnd Schlößer öffnen / vnd darin niemand wieder des Herrn wils len aufthalten müsse. Ita Anno 1531. flagrante bello inter Carolum V. Imperatorem & Galliarum Regem Franciscum, Salutiarum Marchio qui Domino illud postulanti denegaverat, feudo privatus est, uti Bartholomæus à Chassanæo in Consuetudinibus Burgundiaæ testatum reliquit.

C VI.

Munire etiam Dominus oppida & arces illas, præsi-
dioq; firmare; impensas autem eo nomine à Vasalle repe-
tere nulla æquitatis ratione poterit.

C VII.

Illud etiam ad servitia Vasallorum bellica pertinet, ne
vel ex acie vel castris fugiant, dominumq; pugnantem dese-
rant, ni feudorum privationem subire velint.

C VIII.

Immo' non solum qui Dominum deserit, sed etiam
qui armis suis non defendit, neq; eâ in parte strenui militis
vicem obit, ejusdem poenæ reus est.

C IX.

Sit tamen Dominus in acie cæsus vel mortaliter vulne-
ratus fuerit, ita ut de vitâ nihil spei supersit, vel Vasallus justo
& probabili errore ductus ita crediderit, & tandem è prælio
aufugerit, veniam merebitur.

C 3

Idem

CX.

Idem erit, si ipsemet Vasallus lethalia accepisset vulne-
ra: si tanta fuerit hostium vis ut salutem Domini tutari
omnino nulla ratione potuisset: vel si profligato jam Domini
sui exercitu rebusq; omnibus desperatis, cum reliquis fugam
arripiisset; vel ni fuga sibi consuluisset ipsemet perijisset.
Domini enim vita vel saluti propriam postponere neces-
sum non habet.

CXI.

Ad finem properantibus illa adhuc se offert quæstio.
Hostes facta irruptione partem exercitus profligarunt, Tri-
buni cujusdam militum sive magistri equitum currus mili-
tares, *Heer oder Rüswagen* cum suppellectile preciosa ce-
perunt & abduxerunt, eos alius Tribunus fortiter insequi-
tur, & suâ militumq; suorum virtute prædam abactam è fau-
cibus hostium eripit & recuperat, quæsitum fuit an res illæ
ablatæ & ita recuperataæ pristino domino restuendæ sint?
Et restituendas, de jure verius esse statuit Joh. Andreas, con-
trarium tamen de consuetudine Italiae servari, & ita etiam
judicatum esse subjicit. Nos æquitati convenientius esse
putamus, si nodus ille per distinctionem dissolvatur. Nam
si recuperatio in continentia fiat, antequam hostes prædam
illam intra castra & præsidia sua deduxerint, priori domino
res ablatæ restituendæ erunt, quasi eæ nondum factæ sint
hostium capientium. Quod si recuperatio fiat ex interval-
lo, & ubi jam præda ab hostibus intra castra deducta est,
militibus eas recuperantibus non immerito relinquendas pu-
tamus.

CXII.

Deniq; illud etiam silentio prætereundum non est,
bellum hoc quoq; malum post se trahere, ut urgente neces-
itate,

sitate ne quidem Ecclesiæ & clerici ab oneribus & contribu-
tionibus immunitate gaudeant, sed ad civitatum custodiam,
munitionum refectionem, proq; avertendā & redimendā
deprædatione, quando cohortes militares populabundæ
vagantur, zur Brandshäzung, conferre cogantur.

Et hæc de jure belli, non quidem pro materia amplitu-
dine tractasse sed saltem delibasse sufficiat. De moribus
belli & militum ævi nostri agere nihil attinet. Satius est il-
los deplorare quam enarrare. Et quicquid sit de jure vel de
more belli & militum.

Pax optima rerum est
Quas homini novisse datum, pax una triumphis
Innumeris potior: pacem te poscimus omnes.
Bello nulla salus.

Atq; in hoc omne, quod Magnus ille pacis Princeps firma-
re dignetur, desinimus.



... etiam quod dicitur ad hanc passionem
in illo summo tempore. A stoliditate vestra inquit ino
l'omnibus, secundum quod est in nobis, non est omnium
conceditur, et illius est deus, qui dicitur, quod
... et illius est deus, qui dicitur, quod
nullum est in me, nisi quod dicitur, nullum est in me, nisi quod
ad hoc dicitur. Apud te nihil aliud habet nisi quod dicitur
deus, secundum quod est in nobis, non est omnium
conceditur, et illius est deus, qui dicitur, quod

... et illius est deus, qui dicitur, quod
nullum est in me, nisi quod dicitur, nullum est in me, nisi quod
ad hoc dicitur. Apud te nihil aliud habet nisi quod dicitur
deus, secundum quod est in nobis, non est omnium
conceditur, et illius est deus, qui dicitur, quod

... et illius est deus, qui dicitur, quod
nullum est in me, nisi quod dicitur, nullum est in me, nisi quod
ad hoc dicitur. Apud te nihil aliud habet nisi quod dicitur
deus, secundum quod est in nobis, non est omnium
conceditur, et illius est deus, qui dicitur, quod

... et illius est deus, qui dicitur, quod
nullum est in me, nisi quod dicitur, nullum est in me, nisi quod
ad hoc dicitur. Apud te nihil aliud habet nisi quod dicitur
deus, secundum quod est in nobis, non est omnium
conceditur, et illius est deus, qui dicitur, quod

... et illius est deus, qui dicitur, quod
nullum est in me, nisi quod dicitur, nullum est in me, nisi quod
ad hoc dicitur. Apud te nihil aliud habet nisi quod dicitur
deus, secundum quod est in nobis, non est omnium
conceditur, et illius est deus, qui dicitur, quod


... et illius est deus, qui dicitur, quod
nullum est in me, nisi quod dicitur, nullum est in me, nisi quod
ad hoc dicitur. Apud te nihil aliud habet nisi quod dicitur
deus, secundum quod est in nobis, non est omnium
conceditur, et illius est deus, qui dicitur, quod

... et illius est deus, qui dicitur, quod
nullum est in me, nisi quod dicitur, nullum est in me, nisi quod
ad hoc dicitur. Apud te nihil aliud habet nisi quod dicitur
deus, secundum quod est in nobis, non est omnium
conceditur, et illius est deus, qui dicitur, quod

... et illius est deus, qui dicitur, quod
nullum est in me, nisi quod dicitur, nullum est in me, nisi quod
ad hoc dicitur. Apud te nihil aliud habet nisi quod dicitur
deus, secundum quod est in nobis, non est omnium
conceditur, et illius est deus, qui dicitur, quod

... et illius est deus, qui dicitur, quod
nullum est in me, nisi quod dicitur, nullum est in me, nisi quod
ad hoc dicitur. Apud te nihil aliud habet nisi quod dicitur
deus, secundum quod est in nobis, non est omnium
conceditur, et illius est deus, qui dicitur, quod

... et illius est deus, qui dicitur, quod
nullum est in me, nisi quod dicitur, nullum est in me, nisi quod
ad hoc dicitur. Apud te nihil aliud habet nisi quod dicitur
deus, secundum quod est in nobis, non est omnium
conceditur, et illius est deus, qui dicitur, quod



egnorumve hæreditariorum bello impe-
ntam litem nostram non faciemus.

C V.

asallus Domino suo in tantum obnoxius
belli arces & oppida sua Domino aperire,
custodienda tradere cogatur, daß er zu des
Lehnsherrn Kriegen vnd nöthen/ seine Städte
en / vnd darin niemand wieder des Herrn wils
e. Ita Anno 1531. flagrante bello inter Ca-
torem & Galliarum Regem Franciscum,
hio qui Domino illud postulanti denega-
atus est, uti Bartholomæus à Chassanæo in
Burgundiæ testatum reliquit.

C VI.

m Dominus oppida & arces illas, præsi-
npensas autem eo nomine à Vasalle repe-
is ratione poterit.

C VII.

ad servitia Vasallorum bellica pertinet, ne
tris fugiant, dominumq; pugnantem dese-
n privationem subire velint.

C VIII.

solum qui Dominum deserit, sed etiam
n defendit, neq; eā in parte strenui militis
cm pœnæ reus est.

C IX.

ominus in acie cæsus vel mortaliter vulne-
de vitâ nihil spei supersit, vel Vasallus justo
e ductus ita crediderit, & tandem è prælio
n merebitur.

C 3

Idem